



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

15. An Prælati regulares possint amoveri à suis Prælaturis ad libitu[m]  
suorum superiorem sine causa? Et superior, pendente accusatione, vel  
inquisitione contra aliquem, an in tali casu non possit ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

## RESOL. XIV.

An Capitulum Generale alicuius Religionis possit restringere, & limitare usum privilegiorum? Ex p. 11. tr. 2. & Misc. 2. Ref. 66.

§. 1. Negativè respondet Pasqualigus in *99. Moral. Cent. 4. quæst. 331. numer. 8.* ubi sic ait; Hinc autem fit: quod nequeant Superiores Religionis, aut etiam Capitulum Generale limitare, aut restringere usum privilegiorum, si omnibus & singulis concessa sunt; contra id, quod docent Mirandam, in *Manual tom. 2. quæst. 43. art. 4.* Portel in *dub. Regularium verb. Privilegium, num. 78.* Rodriquez tom. 1. quæst. regul. quæst. 17. art. 5. Lezana tom. 1. summi, cap. 18. num. 56. Neque valet ratio in oppositum, quod non sit presumendum quod Pontifex, ut zelator observantia regularis, velit, quod subditus utatur privilegiis contra voluntatem Superiorum; quia cum veritati cedat presumptioni, l. *Nuptura, ff. de iure dot. & l. cum de iudicio, ff. de probat. & confiter de voluntate Pontificis, quod subditi habeant proprium ius ad usum privilegiorum, dum omnibus & singulis concedit, atque adeo per logicaliter, non est inducenda præsumpta voluntas contraria, præsertim quia non est contra Regularem observantiam, quod subditus utatur gratis maiorum Superiorum independentem, & contra voluntatem minorum, cum minores debeant se conformare maioribus, non minus quam subditi immediatis superioribus. Nec privilegia sunt contra regularem disciplinam, si non continent abusum. Ita ille.*

2. Sed ego prolixius talem sententiam reiciendam puto, & affirmatiam tenendam esse existimo. Et ita præter Mirandam, Portel, Rodriquez, & Lezaniam à Pasqualigo adductos, tenent communiter Doctores. Et ita me citato tenet Bordonus in *Conf. Regular. tom. 2. resolut. 52. numero 316.* & me citato Bassæus verb. *Privilegium 4. numero 11.* & me citato Pellizarius in *man. Regular. tom. 2. tractat. 8. capit. 1. numero 62. & 63.* Quibus etiam adde doctum Magistrum Donatum tom. 1. tractat. 13. quæstione 20. *Brauum in tract. Monast. capit. 7. num. 11.* Tamburinum de iure *Abbatum tom. 1. disp. 16. quæst. 9.* Hieronymum Rodriquez in *Compend. ref. 116. numero 26.* Bellasium in *Prompt. Regular. verb. Privilegium, num. 6.* Suarez de *Relig. tom. 4. tra. 8. l. 2. c. 22. n. 14.* & alios.

3. Probat hęc opinio, nam ut bene observat Suarez ubi supra, & contra Regem Angliæ libro 4. capit. 7. numero 12. & 25. & capit. 13. numero 7. quamquam privilegium Apostolicum sit datum in fauorem verbi gratia Abbatum, aut aliorum subditorum Ordinis, eo pacto intelligitur datum, ut simul habeat secum imbitam deteriorationem ab ipso Pontifice concessam supremis Potestatibus Ordinibus, pro ut illius augmento, & conseruationi, iustis de causis visum fuerit expedire. Itaque Regula illa; inferior non potest abrogare, &c. locum habet solum, quando inferior restringit, aut tollit privilegium contra voluntatem eius, cui concessum est: quod certe non euenit in casu nostro, cum in Capitulis Generalibus, ac Prouincialibus, in quibus suppono eiusmodi privilegia abrogari, adsit interpretatio voluntas totius Religionis, cui concessa sunt dicta privilegia: quod est talem restrictionem, aut ablationem privilegij fieri de consensu habentis privilegium. Præter quam quod Papa concedens priuilegium in fauorem Religionis censetur illud conferre iuxta ordinem debitum, & magis consentaneum ipsi Religioni, quamdiu expressè non declarat in contrarium: debitus autem ordo Religionis petit, ut inferiores Prælati pendant à Superioribus, & consequenter credendum est hanc esse mentem Papæ concedentis talia privilegia, quomodo non potest dici inferior auferre facultatem concessam à Superiore; quippe quæ non est concessa simpliciter, sed cum hac subordinatione.

4. Et quidem cum privilegia principaliter concedantur toti Religioni, & tota Religio in capitulo Generali censetur existere; sequitur, eam si iudicauerit ita expedire, posse à se tota abdicare usum illorum, & consequenter etiam à proprio Generali, cum nemo cogendus sit uti suo privilegio. Ita sentiunt viri docti à me consulti.

5. Vnde ex his patet responsio ad argumenta à Pasqualigo adducta pro sua confirmanda opinione; quæ licet vim haberent, quod nego, procederet seclusis privilegiis ad faciendum, quæ habere Regulares certum est. Leo namque X. concessit quod Generalis Minorum in suo capitulo Generali, & quilibet Prouincialis in suo Capitulo Prouinciali cum consensu tamen eiusdem Capituli, vel maioris partis, declarare possit, & valeat, utrum ab usu alicuius concessionis, vitæ vocis oraculo factæ abstinere debeat, ac si concessio huiusmodi per Sanctitatem suam suspensa, vel reuocata fuisset, & haberetur in supplemento Ordinis, fol. 94. *concess. 296.*

6. Id item concessit Gregorius XIII. Superioribus Illustrissimæ Religionis Societatis IESV, ut possent scilicet indulta Apostolica, quomocumque hæcenus concessa, limitare, eorumque usum prohibere, prout habetur in *Compend. Societatis, tit. Gratiarum usus; §. 2.* quod extenditur ad Superiores Mendicantium, ob communicationem privilegiorum.

7. Et idè rectè in Actis Capituli Generalis nostræ Religionis Clericorum Regularium celebrati Romæ apud Sanctum Syluestrum Montis Quirinalis 16. mensis Maij, sic habetur; Decreuerunt Patres, ut Compendium privilegiorum, & facultatum Nostræ Congregationis Clericorum Regularium à Patre D. Alexandro Peregrino Clerico Regulari concinnè dispositum, & vtilibus annotationibus auctum publico nostri Ordinis commodo Typis excudatur, excusumque ad singulas nostras Domos quam primùm transfinitur. Nemi verò licitum sit ab ea die, qua prædictus libellus transmissus fuerit, aut quomodolibet intuerit, absque licentia Admodum Reuerendi Patris Nostri Generalis aliquo alio privilegio uti, præter ea quæ in iam dicto Compendio continentur, ac alia quæ apud nos sunt in usu, dummodo non sint à Summo Pontifice reuocata; D. Theodosius Nigrifolius Secretarius.

## RESOL. XV.

An Prælati Regulares possint amoueri à suis Prælatibus ad libitum suorum Superiorum sine causa? Et Superior pendente accusatione, vel inquisitione contra aliquem, an in tali casu non possit spoliare eum Prælatum etiam manuum, nisi prius probato delicto, &c. Ex p. 3. tr. 2. Ref. 117.

§. 1. Affirma

§. 1. **A**ffirmatiuè respondeo, nisi Prælatura sit electiua. Dico igitur, Superiores Religionum posse amouere, & spoliare Prælatos manuales de suis Prælatibus manualibus quomodocumque, & quodcumque ipsis placuerit, etiam sine causa, nec ipsi Prælati manuales possunt conueniri, siue agere quicquam contra spoliatores, ex cap. cum ad monasterium, §. tales, in fine, in dicta gloss. ver. perpetuo, de stat. Monach. Et ratio est, quia Superiores illos à dictis Prælatibus amouendo, vtuntur iure suo, nec illis iniuriam faciunt, & ita hanc sententiam ex multis Doctoribus probat, & tenet nouissimè Aloysius Riccius in praxi, tom. 4. resol. §. 1. num. 4. & ante illum Sigismundus à Bononia in tract. de electione, part. 1. cap. 7. dub. 49. num. 7. vbi num. 14. asserit Provinciales, Rectores, &c. Societatis I E S V, qui instituntur à suo Præposito Generali, & item Priores seu Guardianos aliarum Religionum, qui prouidentur à suis Generalibus, seu Diffinitoribus, posse mutari, vel spoliari ab eisdem suis Prouisoribus, seu Institutoribus, etiam sine causa, quomodocumque, & quodcumque id eis placuerit; hi enim omnes censentur beneficia, & Prælatum manuales. Ita ille qui respondet ad argumenta, quæ in contrarium adduci possunt.

2. Nota tamen quod in vno casu fallit supradicta opinio, & erit quando Superior, pendente accusatione, vel inquisitione contra aliquem, eum spoliaret Prælatum etiam manuali; & ratio est clara, quia dum Superior cepit accusationem, vel inquisitionem contra subditum ad effectum spoliandi eum Prælatum, tum ipsa spoliatio superueniens non considerabitur vt ius simplex, & imperium Superioris in subditum, sed vt pœna illius delicti, de quo ipse iam cepit accusationem, seu inquisitionem. Sed talis pœna non potest imponi, nisi prius probato delicto. Ergo, &c. vide etiam Laurium in var. elucubr. tit. 4. cap. 23. n. 23. & 24. vbi etiam addit, Prælatos Regulares de facili, & leuioribus causis posse amoueri à suis Prælatibus etiam electiuis, & citat. e. per tuas el. 1. de simonia, & c. qualiter el. 2. de accusat.

## RESOL. XVI.

An Prælati Regulares teneantur emittere professionem Fidei?

Sed maius dubium est, circa Regulares Lectores Philosophiæ, & sacre Theologiæ, an inquam, teneantur emittere Fidei professionem? Ex p. 3. tr. 2. Ref. 78.

§. 1. **A**ffirmatiuam sententiam præcipit Pius IV. in sua constitut. & docet Hieronimus Rodriq. in compen. qq. Regul. resol. 67. n. 1. Emanuel Rodriquez in qq. Regul. tom. 2. q. 72. art. 1. Riccius part. 4. decis. 83. numer. 1. Riccius tract. de iure part. 5. lib. 1. c. 13. n. 5. Barbosa de potestate Episc. part. 2. allegat. 61. n. 7. & alij penes ipsos.

2. At fetè in omnibus Religionibus vsus est in contrarium, & ideo Prælati ad hanc fidei professionem non tenentur. Vnde Tamburinus de iure Abbat. tom. 1. disp. 8. quest. 3. num. 3. sic ait. In illis Religionibus, in quibus constitutio Pij IV. non est vlu recepta, vel est contrario vlu abolita, Prælati Regulares non tenentur ad fidei professionem emittendam, & Hieronymus Sorbo in annot. ad compen. privileg. tit. Professio fidei, dicit sacram Cardinalium Congregationem, respondisse prædictam constitutionem quoad Prælatos Regulares non esse in vlu, atque ita

pariter consuluiffe alios doctissimos viros, & ita in praxi obseruari, quidquid dicant alij, & tenetur hodie in Religionibus prædicta constitutio non obseruari. Ita Tamburinus, & de dicta praxi testatur etiam Portel in dubiis Regul. ver. professio, num. 3. & illam approbat Sigismundus à Bononia in tract. de elect. part. 1. cap. 7. dub. 50. num. 7. & Villalobos in summa tom. 2. tract. 1. diff. 6. num. 3. vbi sic ait. [Aduerto que aunque el Concilio Tridentino no obliga à los Prelados à hazer la Profesion de la fe; los obliga Pio IV. en vn moto proprio, aunque sean de los Ordines militares. Mas esto en muchas religiones no està en vfo, y donde no lo estuuiere, non obligarà.] Ita ille, & ego cum Sanchez in summa tom. 1. lib. 2. cap. 5. num. 3. quidquid asserat Barbosa vbi supra.

3. Sed maius dubium est circa Regulares Lectores Philosophiæ, ac sacre Theologiæ, an inquam, teneantur emittere fidei professionem? Portel vbi supra in dub. Regul. ver. Professio fidei, num. 3. affirmatiuè respondet, & cum Rodriguez asserit Prælatos Regulares aliter promoentes Lectores in suo ordine incurrere pœnas postas in 2. Bulla Pij IV. sed si in aliqua Religione dicta Bulla non fuit vlu recepta, vel per contrarium vsu fuerit abrogata, vt supra de Prælatibus dictum est, non condemnationem Lectorem dictam professionem fidei minime facientem.

## RESOL. XVII.

An Superiores Regulares teneantur residere in suis Monasteriis, ita vt teneantur assistere etiam tempore pestis, hæresis, & etiam cum periculo mortis? Et quando vero, & pro quali causa debeat Generalis dispensare in casibus occurrentibus, vt Superior Monasterij remaneat extra conuentum per aliquos dies, &c. Ex p. 9. tract. 7. & Misc. 2. Ref. 54. alias 53.

§. 1. **R**espondeo affirmatiuè: nam, generaliter loquendo, ea, quæ in Concilio Trident. sess. 6. cap. 1. & 2. & aliis iuribus statuuntur circa residentiam Prælatorum, intelligi debent suo modo de Prælatibus Religionum propter similem rationem. Miranda in Manual. tom. 2. quest. 9. art. 5. Hinc Prælati Monasteriorum tenentur assistere suis Monasteriis tempore pestis, vel hæresis, etiam cum periculo mortis. Ratio est: quia sunt quasi Parochi illorum Monasteriorum: Parochis autem non licet fugere in euentibus. Sanch. lib. 6. in Decal. cap. 1. num. 55. & cum ipsis Lezana in summa tom. 1. cap. 18. numero 12. Vnde ego olim interrogatus, an Generalis cuiusdam Religionis potuisset permittere, vt Prior Monasterij Romæ remaneret per aliquot menses ad imprimendum quandam librum? Respondi negatiuè. Quod etiam nouissimè docet Bordenus in suis consilijs Regular. tom. 2. resol. 80. numero 47. Quando verò, & pro quali causa debeat Generalis in casibus concurrentibus dispensare, vide Tamburinum de iure Abbatum, tom. 1. disputatione 14. questione 3. 4. & 5. Et aduertant Generales Religionum in hoc, ne cæci cæcos ducant, & omnes in foueam cadant.